Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 947

Quelle:
Copyright:

voioit point de Courtiſan *en France ſe méler de poeſie et d'erudition, comme faiſoit Wigbode.* Abſunt jam a Codice noſtro haec Παρεργα, qui ita inchoat: *Primo omnium preceptor mi inquiri michi neceſſe eſt* &c. ubi noto, Interlocutores, qui in editis per D. et M. *Diſcipulum* nempe et *Magiſtrum*, diſtinguuntur, nobis per A. et H. deſignari. Editorum finis: *plenitudo enim legis caritas*, concurrit cum fine *fol.* noſtri 54. a quo Inedita ſic procedunt: *Adam vero cognovit uxorem ſuam. Yſidorus. Natiuitas duorum filiorum adam ſimilitudinem habet duorum populorum* &c. Codex vero totus abrumpitur in *Quaeſtionibus L. Numer.* C. 26. his verbis: *aut propter duas uias actionis et contemplacionis ad eternam beatitudinem predeſtinantur.* Notantur item *fol.* 56. p. 2. de *Geneſi* quaedam excidiſſe. Ceterum Libri ſinguli praeter *Geneſin* praefixa habent Quaeſtionum Summaria, et ſaltem uſui eſſe poterunt citatorum PP. Opera olim recenſituris. Ad calcem coaeva manu adjecti Verſiculi:

Ne pudeat, que neſcieris, te uelle doceri.
Scire aliquid laus eſt, crimen, nil diſcere uelle.
Inſtrue preceptis animum, ne diſcere ceſſes,
Namque datur longo ſapientia temporis uſu.

Ad compingendum Codicem anterius adhibita eſt Membrana continens tribus columnis Fragmentum Cantici hebraici luculente exarati hoc initio:

אל וכי יפקוד
מה אשיבנו :

CCCCXI.

U. 267 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 69. f. per duas columnas charactere atro luculento exaratus, rubricis conſpicuus, et olim teſtamento *Thomae* noſtri *Haſelbachii*, ut frons teſtatur, delatus ad *Collegium ducale Wienne apud fratres predicatores* ita orditur: *In nomine domini incipit Prologus Ven. Bede presbiteri in libros Salemonis.* Nota: *in libros Salomonis.* Eſt igitur Praefatio generalis in *Proverbia, Eccleſiaſten*, et *Cantica*, quam cum nemo, quod ſciam, memoret, cumque prolixa non ſit, primus hic integram proferam. *Tribus nominibus uocatum fuiſſe ſalemonem ſcripture manifeſtiſſime docent. pacificum id eſt ſalemonem. et hydida id eſt dilectum domini. et quod nunc dicitur coeleth. i. eccleſiaſten. Eccleſiaſtes autem greco ſermone appellatur. qui cetum in eccleſiam congregat. quem nos nuncupare poſſumus concionatorem quod loquatur ad populum et ſer-*